



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv  
Fvndavit, Libri III**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Dvaci, 1585**

Nauigat in Palæstinam. Cap. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44004**

*Nanigat in Palæstinam. CAP. XIII.*

**I**bi cum aliquandiu moraretur, in omnem nauigandi occasionem intentus; ecce tibi nouæ amicorum pugnæ (quos illi vbiuis breui conciliabat cognita viri virtus atq. modestia) eum variis terroribus ab instituta peregrinatione reuocare conatiū; quibus ille, Deo fretus, ita resistebat, vt diceret pro certo habere se, vt cetera cuncta deficerent, vel vna solummodo tabula quo cupiebat vtiq. peruenturum. Nec eum fefellit bonitatis diuinæ fiducia. Cum enim eo anno formidine Turcarum, vt diximus, solito minor esset in Iudæam peregrinantium numerus, & quotquot erant, simul omnes paulo ante soluissent; desperata iam à ceteris re, Ignatius repete fit certior, nauem in Cyprum parari patricio Veneto, prætori eiusdē insulæ designato: cumq. inde non ignoraret breuem atq. facilem esse traiectum in Palæstinam; nullo adhibito deprecatore, cum tamen multi nec aspernandi suppeterent, ad Venetorum Ducem Andream Gritum adiit ipsem̄, insigni non minus humanitate quām prudētia principem: ac Deo fauente facile ab eodē impetravit, vt gratis in Cyprum vsq. deueheretur. Sed interea dum præatoria ornatur nauis, in febrim Ignatius incidit, factumq. diuinitus est, probadæ scilicet eius constantiæ cauſa, vt quo die pharmacum hauriat, eo ipso nautæ signū profectionis ediderint. quare minime cōturbatus Ignatius veniam petit ab hospite; qui pertinaciter ipsum etiam atque etiam retinere conatus, cum nihil omnino proficeret, consultur medicus. ille vero sine cunctatione respōdet, hominem ad interitum ruere. Attamen Ignatius nihilō magis

magis immutatus, & cœlestis nimirum medici ductū sequutus, felici sane consilio (quod tamen admirandum potius, quām imitandū aliis duxerim) fluctuante etiam tum in stomacho potionē conscendit: factumq. est Dei beneficio, vt ora soluta, inter nauigandum, ex ipsa maris agitatione tātam vim pestiferi ac vitiati humoris euomeret, vt morbo plane levatum sese celeriter senserit. Recuperata valetudine institit suo more, quo scumq. poterat factis dictis q. ad virtutem & pietatem adhortari. cumq. in eadem nauī per summam impudentiam cōmitti grauia quēdam flagitia comperisset, non dubitauit apertū dēcēsus detestari palam; & impuros illos homines tanta orationis acrimonia reprehendere, vt iij facta cū nautis coniuratione molestū sibi monitorem in deserta quadam insula exponere, atq. ab suo conspectu & consuetudine procul amouere decreuerint. quā rem odorati ē vectoribus quidam Hispani ad Ignatium pro amicitia detulere, suadentes etiam atq. etiam, vt in loquendo cautor esset, sibiq. consuleret. sed ille nihilominus turpiter peccantes obiurgare perrexit, diuinæ prouidentiæ ope subnixus: cuius beneficio factum est, vt ad insulam sceleri destinataī approxinantes nautæ, aduerso repente vento reiecti, volentes nolentes Ignatium in Cyprum usq. perrexerint: ubi cum stare ad salinas peregrinam nauem, de qua supra diximus, audisset, illuc itinere terrestri se contulit: in eamq. gratis admissus, nihilo plus viatici secum intulit, quām in priores intulerat, Christo uno videlicet fretus, qui tota illa nauigatione sese illi non semel ostendit; eamq. magnopere confirmavit; ac denique in columem ad portum Palæstinæ perduxit.

*Palæstina*